



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

NUNTIUS DATUS

EDUARDO S.R.E. CARDINALI MARTÍNEZ SOMALO
MISSO EXTRAORDINARIO ELECTO PRO
CELEBRATIONIBUS CONGRESSUS
EUCHARISTICI NATIONALIS
REIPUBLICA DOMINICIANA

Venerabili Fratri Nostro

EDUARDO S.R.E. Cardinali MARTÍNEZ SOMALO

Congregationis de Cultu Divino

et Disciplina Sacramentorum Praefecto

Ecclesia Reipublicae Dominicanae ad celebrandum accingitur quingentesimum annum ab Americae evangelizatione, intime quidem coniuncta cum eiusdem Continentis inventione, quae historicus fuit eventus maximus, siquidem in humani generis itinere permagnum habuit momentum, tum rerum civilium et socialium respectu, tum religionis. Eodem enim tempore quo repertores illis potiebantur terris, veritatis evangelicae semen primi praedicatores disseminabant, quod tam laetum forteque saeculorum crevit decursu totque edidit fructus ut hodie Nationes illae, quasi per acceptam hereditatem, in universa Ecclesia altum obtineant locum. Iure ergo Conferentia Episcopalis Dominicana hac utitur opportunitate ut hunc in Christi regno commemoret ortum, tamquam munus potissimum quo Deus eas donaverit gentes, utque fideles de eiusmodi facto recogitantes pro sua christianorum identitate renovent vitam. Episcopi pastoralis praeparatoriae rerum gerendarum rationi Congressum Eucharisticum Nationalem inseruerunt, qui die mensis Novembris vicesimo quarto hoc anno, festo Christi Regis agetur. Et Congressus et haec sollemnitatis illis saecularibus optime congruere videntur. Est namque Christus Eucharisticus Ecclesiae caput et centrum, a quo singuli credentes spiritalem hauriunt vitam simulque totum mysticum Corpus, et Christus Rex est, qui et Sponsam amantissime gubernat et omnes, qui eius iugum suave exceperunt et onus leve (*Matth. 11, 30*). Quo haec congruentia evidentius appareret,

Venerabilis Frater Noster Nicolaus de Iesu S.R.E. Cardinalis Lopez Rodriguez, concorditer cum Dominicanis Episcopis eorumque mandato, Nos rogavit ut Missum Extraordinarium ad illas celebrationes mitteremus, qui Nostram gereret Personam. Nos autem, pro certo habentes hoc sacris illis decori esse futurum et insuper Nostrae in eam Ecclesiam dilectionis testimonio, perlibenter precibus concessimus. Quoniam vero eventus is arte pertinere videtur ad istam, cui praees, Congregationem et peridoneus es Tu ad Nationis illius Hispanici sermonis sensus intellegendos, Nos, Venerabilis Frater Noster, *Missum Extraordinarium* Te elegimus, qui Nostras vices obeas apud sacros illos Praesules populumque catholicum in celebrationibus, quas supra demonstravimus. Die igitur proximi mensis Novembris vicesimo quarto eris, huius rei gratia, Sancti Dominici, in urbe eius Reipublicae capite. Omnibus praesidebis actibus, qui sollemni Congressus praestituti erunt; Nostram significabis salutationem, Nostram in Ecclesiam illam dilectionem, Nostram per spiritum praesentiam. Hinc, fisci munus Tuum cunctae illi catholicae Communitati esse bene cessurum, Benedictionem Apostolicam ex imo pectore Tibi impertimur, quam cum omnibus participabis, qui sacris intererunt, cumque omnibus, qui impediti, sed interesse volentes, id non poterunt.

Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Augusti anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

© Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana